

Plantarum, quæ sudant. Potuissem, ex his monitus, multos errores evitare, multas species illustrare.

Allionii *Floram Nicæensem* tandem accepi.

Sium tuum non vidi, non enim apud nos crescit. Eandem speciem tamen habet Hudson * in *Florâ* suâ *Anglicâ*, et ritè distinguit à vulgari, umbellis lateralibus pedunculatis. Me doceas quem apud vos usum habeat, et an involucrum universale sit pinnatifidum.

Rosa tua, fortè sit *Rosa Alpina*?

Nil magis optare possum quàm videre tuas *Classes Morborum*, quæ unicam normam sistunt per miseras corporis humani.

Si quocumquè possibile sit mittere, mittam meam dissertationem de *Sexu Plantarum* pro quâ præmium retuli, et reliquos vanos meos tractatus.

Tuum favorem in cælum extollunt et Dom. Forskall et Alstroemer. Felices eos judico, qui Te coram videre potuère, Te alloqui.

Medicamentum tuum contrà scabiem tentabo.

* HUDSON (GUILLAUME), du Westmorland, 1750-1793, professeur de botanique au jardin de Chelsea, publia en 1762 sa *Flora Anglica*, Lond., in-8°, classée d'après la méthode de Linné. Il préparait une *Fauna Anglica*, lorsqu'un incendie dévora le fruit de ses intelligentes et nombreuses recherches en 1783.